

Vorbemerkung:

Der folgende Text soll in angemessenes Deutsch übersetzt und durch die Bearbeitung der unter II. gestellten Aufgaben sprachlich erläutert werden!

I. Übersetzung:

1 Vedit ut hostiles in rectum exire catervas
 Pompeius nullasque moras permittere bello,
 Sed superis placuisse diem, stat corde gelato
 Attonitus, tantoque duci sic arma timere
 5 Omen erat. Premit inde metus totumque per agmen
 Sublimi praevectus equo 'Quem flagitat' inquit
 'Vestra diem virtus, finis civilibus armis,
 Quem quaesistis, adest. Totas effundite vires;
 Extremum ferri superest opus, unaque gentis
 10 Hora trahit. Quisquis patriam carosque penates,
 Qui sobolem ac thalamos desertaque pignora quaerit,
 Ense petat: medio posuit deus omnia campo.
 Causa iubet melior superos sperare secundos.
 Ipsi tela regent per viscera Caesaris, ipsi
 15 Romanas sancire volunt hoc sanguine leges.
 Si socero dare regna meo mundumque pararent,
 Praecipitare meam fatis potuere senectam.
 Non iratorum populis urbique deorum est
 Pompeium servare ducem. Quae vincere possent,
 20 Omnia contulimus. Subiere pericula clari
 Sponte viri sacraque antiquus imagine miles.
 Si Curios his fata darent reducesque Camillos
 Temporibus Deciosque caput fatale voventes,
 Hinc starent. Primo gentes oriente coactae
 25 Innumeraeque urbes, quantas in proelia numquam,
 Excivere manus. Toto simul utimur orbe.
 Quidquid signiferi compressum limite caeli
 Sub noton et borean hominum sumus, arma movemus.
 Nonne superfusis collectum cornibus hostem
 30 In medium dabimus? paucas victoria dextras
 Exigit; at plures tantum clamore catervae
 Bella gerent. Caesar nostris non sufficit armis.
 Credite pendentes e summis moenibus urbis
 Crinibus effusis hortari in proelia matres.
 35 Credite grandaevum vetitumque aetate senatum
 Arma sequi sacros pedibus prosternere canos,
 Atque ipsam domini metuentem occurrere Romam.

II. Sprachliche Erläuterungen:

1. Erklären Sie V. 16/17: pararent - potuere, und V. 19/20: possent – contulimus!
2. Nennen und erklären Sie die im Text enthaltenen Fremdwörter!